ODE ALCAICA

In Natalem

FILII DEI,

IESV CHRISTI

MEDIATORIS,
SALVATORIS,
REDEMPTORIS
HOMINUM,

Quam DOMINO suo,
Moris & honoris ergò
decantabat

GERHARDUS MEIERUS,
Monasterio-Westphalus, P. L. C.

HAMBURGI,
Divulgabat PAULUS Langius,
cIↄ Iↄc xv.

EIa hic adeſdum, & dic age ti
Regina ſacrum Calliope mi
Referre natalem Dei, atq
Magna modis tenua
parvis
Ordire: ſummi progeniei Dei
Nunc eja Cunas Bethlehemiticas
Plectro celebra, cur propagô
Indubitata patris Tonanti
Mortalium artus induit, oſſaque
De matre Nympha terriſata capit
Cur imbecille idemq; corpus
Terrigenũ ipſe Jehova ſun
Qui terrã inertem, qui mare temp
Ventoſum, & urbes, regnaq; totiu
Mundi, atq; mortaleis phala
Impcrio regit unus æquo.

Ad umbilicum duxit ubi cyclum,
Et templa Olympi fornice flammeo
Suspendit, & terræ capacem,
Et Pelagi sinuavit arcum.
Primum parentem pulvere de Soli
Mox excitavit, dein sociam thori
Clementer addit, fingit & hos
Effigiem propriam ferentes,
Et mox in agros mittit Edenios,
Degant ut illic absque molestiis,
Vitamq; consumant carentes
Perpetuò tremero labore.
Pomerium sed cinxerat arborem
Forsan decoram, noticiam simul
Æqui ministrantem maliq;,
Tangere quam vetuit JEHOVA.
Ergo dolosi fingit imaginem
Regnator orci, bellua centiceps,
In tortuosi se colubri,
Sibilaq; ore fremit tremendo

Nec

Nec non verentem forte nihil mali,
Dictis salutat mellisonis Even:
Salve, virago chara salve,
Auribus & cape verba nostra:
Quidnam trementes, tuque, tuusque vir,
Mulcere vix hanc, ô stolidi, arborem
Audetis, & gustare fœtus
Hosce favo preciosiores?
Næ vestra cæpit corda furor, boni,
Cur quæso prolem carpere ab arbore
Pulchra decentique & virenti
Jova vetet? Mihi redde causā.
Nempe illa vobis fors poterit dare
Prudentiamque & noticiam Boni,
Paresque Regis fulgurantis
Reddere robore præpotenti.
Vix fatur anguis, nymphaque pervicax
Mox curiosam dexteram in arbore
Impellit, interdicta præbens
Mala viro mala decoquenda.

Ambo parentes per vetitum ruunt
(Eheu) nefas, ac illicitam arborem
Contaminant, jussum Patris nil
Terribile ætherij verentes.
Fatalis ergo conglomerat manus
Sese sororum, tetraq; Crimina,
Pallensq; morbus, deinde curvum
Approperat senium, dolorq;.
Lapsos homullos dura premit Phalax.
Iccirco & æqua lege neceßitas
Sortitur omnes, sive reges,
Sive inopes erimus Coloni.
Imponit ægrum Lex superi Patris
In sempiternas exilij dies,
Plectatur ergo morte sævâ,
Morte truci, mala cohors mina-
Ergo Tonantis Filius unicus, (tur.
Cladem misertus Terrigenûm, Patri
Fit ipse supplex, prociditq;
Ante pedes Patris, incipitque:

In te salutis spem posui meæ,
Audi Creator non tetricus preces,
Nec aure durâ vota temne,
Respue neve preces superbus.
Mandatũ Adamus nunc vitiavit hoc,
Deceptus astu Tartarei Patris,
Decepit hîc Adam in nepotum
Perniciẽ, opprobriumq; Mundi.
Quid quisq; vitet nunquã homini satis
Cautum est in horas: hic Phlegethõtiæ
Aulæ satelles, nil timentem
Perdidit immeritam Puellam.
Verum ipse ego, dilecte Parens, lubens
(Postquam imbecillis possit homuncio
Nullotenus perferre culpam)
Exilium modo sustinebo.
Ac ipse versuti caput horridum
Calcabo Nequam, fœmineumq; ego
Semen, rependam fœminæ mox
Damna, luet meritam ille pœnã.

Peccavit Adas fructibus Arboris,
Suspensus istam pœnam ego in arbore
Mortalium solvam libenter,
Si tua sit, Genitor, voluntas.
Finîrat; Illum conditor optumus
Solatur alto de solio, ferens
Responsa mitis, Filiumq;
Blandisonâ alloquitur loquelâ:
O Nate, nate ante omnia sæcula,
Dudum tua, aures, vota, meas quidem
Jam verberarunt, atque vocem
Ipse tuam placidus recepi.
Dulce & decorũ est pro miseris mori:
Seros per annos hinc tibi Christidûm
Surget Phalanx, grates tibiq;
Perpetuo resonabit ævo.
Descende cælo, mox tibi venerit
Fatalis ætas, indue debilis
Artus Adami, intaminatæ
Parthenicæ insinuaq; te alvo.

Per

Perverse sed tu Tænariæ domus
Regnator audi: Conteret en tuum
Mox verticem fortis Dynasta,
Progenitus Mulieris alvo.
Ne forte jactes nomen inutile
Genusq́; sacrum: Ludibrium nisi
Debes meo gnato, caveto:
Non tibi proderit ars dolosa.
Circumvolutis ergo diebus, &
Annis relapsis mille aliquot, Deus
Servum fidelem Gabrielem,
Legat ab astriferâ Sione,
Qui mox Mariæ nuncia Virgini
Fert, hanc daturam semen amabile,
Et gaudium Mundo futurum,
Tristitiamq́; Acherontis arci.
Ergo Quiritum subdiderant jugo
Gentes Ebrææ, posteritas Abræ,
Collum, Latinusq́; Imperator
Imperio Isacidas premebat.

AUGUSTE, cui ſors undiq; proſpera
Belli ſecundos reddidit exitus,
Laudemq; & optatum peractis
Imperiis decus arrogavit,
Mox dein vocaris Romulidûm potens
Regnator Urbis, te rapidus Tigris,
Te bellicoſus, qui remotis
Obſtrepit, Oceanus, Britannis.
Te Cantaber non ante domabilis,
Meduſq; & Indus, te profugus Scythes
Te trux ſtupebat Phryx, tutelam
Italiæ, Dominæq; Romæ.
Te non paveniis funera Galliæ,
Duræq; terra audibat Iberiæ,
Te cæde gaudentes Sicambri,
Compoſitis Clypeis colebant.
Janum hinc Quirini claudis, & ordinē
Rectum, & vaganti fræna Licentiæ
Imponis, amotiſq; culpis,
Mox veteres reuocas Quirites,

Decernis ergo, (cum tibi nomen, &
Crevere vires, famaq; & Imperî
Porrecta Majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili)
Ut mox colonus quilibet Orbitæ
Telluris amplæ, certa nomismata.
Portetq; census ad Qvirites;
Stipes uti solüatur acri
Marti, feroci Romulidûm Patri,
Ut pax triumphet climata totius
Per Africæ, Europæq;, Asisq;,
Atque dies teneatur omnes.
Ergo & Josephus semen Isaÿ
Psaltæ, Mariâ cum socia thori,
Rectâ ad Parentis tendit erva,
Moriger Italiæ Monarchæ.
Tum Lux supervenit subito aurea.
Decrerat in qua Jova Propaginis
Natalis horam, tum Maria.
Fæmineum parit alma semen.

Quum ditiores Xeinodochon domum
Forte occuparant undique, pauperi
Linquunt Josepho durum equile
Tardigradi atq; bovis cubile.
Præsepe cunas ergo recens suo
Maria egeno constituit fato,
Et qui tamen gentes ubique,
Orbita quas Phaëtontis ambit,
Sceptro premebat, Machina tota cui
Parebat orbis. Dein citò fasciis
Involvit Infantem tenellum,
Ætherium Sinai Dynastam:
Qui terram inertem, quique palatia,
Gemmata Cæli, quiq; creaverat
Dextrâ potenti vorticosum
Nerea, Tænariamq; Echidnam.
Durumq; fænum molle cubile fit
Divi puelli, Taurus & horridus,
Tardusq; deglubunt asellus
Triste stratum Domini potẽtis,

Dei

Dei potentis, qui neque ſplendidi
Vult præpotenti, Romuli in arcibus
Produci in auram Cæſaris, nec
Naſcier in Solimæ Theatris.
Sed Bethlehemo pauperi in oppido,
Sed Bethlehemo ſplendido in oppido,
Sed Bethlehæ in vili oppido, ſed
Naſcier in ſtabulo triumphat.
O ſumma ſummi progenies Dei!
Qui non miſellûm terrigenûm genus
Faſtidis, & naſo haud adunco.
Temnis Adami humiles nepotes.
En ô ſtupendam Patris olympij
Clementiam! qui debile virginis
Corpus ſubire intaminatæ,
Non renuit Deus æviternus.
En ô ſtupendam Patris Olympij
Clementiam! qui fædere jungier
Non reſpuit fraterno homullis,
Flebilibus, miſeriſq; homullis

Quæ cura vatum, Terrigenûmve quæ
Plenis honorum muneribus, tuam
Digne satis virtutem in ævum
Per titulos memoresq; fastos
Æternet? ô qua Sol habitabileis
Illustrat oras, Maxime principum,
Igni corusco quo Tonanteis
Vertit equos volucremq; currũ.
Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo Styx & invisi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusq; finis
Concutitur, Dominus potentũ.
Custode rerum te, Pater, haud furor
Væsanus, aut vis eximet otium,
Non ira, quæ procudit enseis,
Et miseras inimicat urbes,
Non, qui profundum Danubium bibit,
Edicta rumpet Teutonica, haud Geta,
Haud Turcus, infidusve Persa,
Haud Tanaim prope flumẽ ortus.

Nosq; & profestis lucibus, & sacris
In sana euntes Patris Olympij,
Cum prole, matronisq; nostris,
Rite sacram Triada adprecati
Virtute functam maximâ & optimâ,
Pulchris remisto carmine tibiis,
Patremq; Spiritumq; Teq;
Progeniem Mariæ canemus.

Ornatißimo & doctißimo

DN. GERHARDO MEIERO
P. L. C.

VT volucres cantu Cygnus supereminet omnes,
Sic te, Cygne tener, carmine tollis humo,
Fama refert, doctis te præripuisse Poëtis
Palmam, perge vigil, carmine clarus eris.

τῆς φιλίας ἕνεκα F.

M. Christian-Theodorus Schofferus,
C. P. C.R. E. A. P. L. C. N.
Historicus Brandenburgicus.